


1-8
35





DISPUTATIO JURIDICA

DE

INJURIIS ET
FAMOSIS
LIBELLIS

Quam

Divinâ favente gratiâ

Authoritate & Consensu

Magnifici ac Nobilissimi Jcto-
rum Ordinis in florentissima ad Salam,

Academia

SUB PRÆSIDIO

Viri Amplissimi ac Consultissimi

DN. VALENTINI RIEMERI
J.U.D. Celeberrimi & Academiæ hujus Profes-

oris Publici, nec non Scabinatus Jenensis Adessoris gra-
vissimi, Præceptoris, Fautoris ac Promotoris sui
magnoperè suspiciendi.

Publicè discutiendam proponit

Ad diem Augusti 28. loco Horisque consuetis

IOHANNES PETRUS *Chpel*/Butisbacen-
sis Hasso - Wetteravius.

JENÆ Typis VIDUÆ WEIDNERIANÆ.

ANNO M DC XXX.

413
~~XXVII~~

14

1630, 2

127



In nomine Domini nostri Jesu Christi ad
omnes actus progredimur. l. 2. C. de offic.
Praef. Prat. Afric

QUod injuriarum materia non solum
sit summè necessaria, verùm etiam utilissima & fre-
quentissima, nullus inficias ibit, nisi qui experientia,
usuique quotidiano manifestè contradicere velit. Videmus e-
nim corruptissimo hoc nostro seculo tantam esse hominum
quorundam hac in parte improbitatem & malitiam, tantam
audaciam, ut, fermè alicui illudere, alterius famam & existima-
tionem dilacerare & quoquo modo corrumpere, non amplius
vitio sibi ducant, sed potius honori: nisi igitur legitima hæc pro
injuriis competerent remedia, quomodo possit petulantia &
malitia hominum coerceri, quomodo fama illæsa conservari?
cujus tamen non minor ratio quàm vitæ haberi debet. *l. eorū 4.*
ibi. cui salus autem estimatio laderetur. C. de malef. & Mathemat. l.
Quintus Mutius 48. ff. Mandat. Et crudelis sui ipsius ho-
stis ille censeatur, qui eam negligit. *c. nolo. 12. q. 1.* Frequentissi-
mam quoque esse hanc materiam exinde elucet, quòd
nullius fermè in judiciis & fori tribunalibus, quam hujus, de
quajam disputari, materiæ frequentior occurrat tractatio.
Cum igitur ea, quæ quotidiana & in foro frequentia, præ aliis
plenius sint attingenda, teste *7 Cto Paulo in l. leg. vi. 25. ff. de li-*
ber. leg. Placuit in præsentiarum hanc juris materiam ad manus
sumere, eamque simplici stylo conscriptam placidæ collationi
subjicere. Idcirco bono cum Deo sine quo decenter geri nil
potest *Nov. 6. in princ. c. non observetur. 16. in fin. caus. 26. q. 7.* ad se-
quentia progredimur.

THES. I.

Quia igitur prima quæstio semper esse debet de verbis, li-
cet posterior sit de rebus, ut rectè monet Plato in Cratylo. Scien-
dum est, quod injuriæ vocabulum sit æquivocum, ideoque non

A 2 uno



uno eodemque modo à] Ctis usurpetur, sumitur enim aliquan-
dò genericè, aliquandò specificè.

II.

Genericè, pro omni eo quod non jure fit, *l. 1. ff. b. t. princ. Inst. eod.* hoc est, quod non solum juri civili, sed & æquitati naturali adversatur. Quo modo omnia delicta, tam publica quam privata, si non fiunt jure, possunt dici injuria fieri. *Vult. ad princ. Inst. b. t. Mynsing. Inst. in rub. & Wesenbec. in Parat. ff. eod.* Specificè, pro damno dato, culpa sive dolo, ut in *L. Aquil. l. 5. §. 1. ff. ad L. Aquil.* vel pro iniquitate sententiæ, nam cum judex iniquè vel injustè decernit sententiam, litigatorem injuriam passum esse dicimus *l. 51. ff. de Evict.* quam Græci *ἀνομίαν ἢ ἀδίκιαν* appellant. *l. 1. ff. de appell.* vel tertio pro eo, quod in alterius fit contemptum sive contumeliam *l. item 15. §. ait. prator ne quid. 25. ff. b. t. Paul. lib. 5. tit. 4.* quæ à contemnendo dicta, vel quod contemptim fiat. *l. 1. §. 4. b. t. in princ. Inst. eod.* Atque secundum hanc ultimam significationem injuriæ vocabulum nos hic accipimus, *cum gloss in l. 1. ff. de injur. super verb. contumelia l. injuriarum 13. §. si quis. 4. ibi quamvis hoc contumelia.* Hic enim de ea injuria agitur, quæ fit contumeliæ causa.

III.

Nunc iis quæ in injuriæ vocabulo præcipuè notari debent explicatis pergimus ad definitionem. Est autem injuria delictum quo hominis liberi existimatio & honos ab alio diffamandi animo dolosè proscinditur, vel quocunque modo eo invito læditur. *l. apud Labeonem. §. hoc edictum ff. b. t.*

IV.

Dicitur i. in definitione, hominis liberi existimatio & honos, ubi innuitur injuriarum actionem tantum ad homines liberos spectare, non ad servos: Et rectè, cum enim servi persona careant *l. quod attinet 32. & l. servitutem. 209. ff. de R. j. &* per consequens etiam dignitate & fama quomodo poterunt injuriam pati. *§. servis a. Inst. de injur.* Porro ex his verbis, existimatio & honos, apparet causa injuriarum finalis, nisi enim alicujus corpus vel fama lædatur, & animus injuriandi adsit,

nul.

415
7.
nulla committitur injuria, *l. illud relatum. 3. §. 1. l. qui servum. 34. in princ. ff. de obl. & act. l. 1. §. 8 ff. de vent. inspic.*

V.

Dicitur ulterius; dolosè proscinditur: ubi ad injuriam faciendam in primis etiam requiritur animus injuriandi dolosus; ideoque si quis quem per jocum vel etiam invitus læserit, injuriarum non tenetur. *l. 3. illud. §. 1. & l. si cum 4. ff. b. t. §. 11. Inst. eod. l. qui servum. 34. in princ. ff. de O. & A. l. qui liberos. 9. verb. infamandi. l. si quidem 10. C. b. t. Wesenbec. in Parat. n. 8. circ. fin. ff. b. t. Duaren. de injur. c. 1. injuria siquidem ex affectu facientis constat, & nunquam facta dicitur, nisi animus injuriandi appareat. *dd. jur.**

VI.

Cui autem in dubio: An actori vel reo probandi onus incumbat, scil. aliquid injuriæ faciendæ animo factum esse vel non? ad huc dubitatur. Nos quia ex facto illicito animus injuriandi præsumitur, injuriantem probare debere dicimus, ex *l. 5. C. b. t. nisi objecerit tale delictum quod interfuit Reipubl. scire. l. eum qui 18. in princ. ff. b. t. vel fuerit persona conjuncta, in quibus magis corrigendi quam injuriandi animus præsumitur. Lunic. C. de emendat. propinqu.*

VII.

Ex his nunc colligitur, quod homines mentis compotes doli capaces, & contumeliæ animo quid facientes, tatum injuriarum teneantur, muta autem animalia, quia affectu injuriæ faciendæ carent, non item. *l. 1. §. 3. ff. si quadrup. paup. fecisse dic. nam nulla injuria nisi à consilio profecta. Quibus adnumerantur impubes, furiosus, non doli capax, per l. 3. §. 1. & 2. ff. b. t. Cum alterum innocentia consilii tueatur, alterum fati infelicitas excuset l. 12. ff. ad L. Cornel. de sicar. Dormiens qui furioso & mortuo comparatur, per text. in Clement. unic de homicid. c. 3. §. 1. item queritur de baptismo. Trentl. thes. 5. disp. 30. lit. A. nam*

A 3

quo-



quomodo ille peccare potest, qui dolo caret *c. testamenti. m. ubi*
gloss. ad verb. rea. dist. 6. Bart. in l. pen ff. ad l. Pomp. de parricid.
per l. fluminum 24. ff. de damno inf.

II X.

Circa Ebrium majores moventur controversiæ; An scilicet injuriarum teneatur? Plurimi veniã cum indignum censent, quia culpa, quæ casum præcedit & excusare non solet, *l. si servus 27. §. si fornicarius. §. si ex plausu. ff. ad l. Aquil. Tiraq. in tract. de pæn. cas. 6.* nunquam abest, *l. perspic. ii. §. pen. ff. de pæn.* licet dolus absit *l. omne delictum. 6. §. qui te vulneravit. 7. ff. de Re milit. l. unic. C. si quis Imper. maled.* Wesenbec. in Parat. tit. de injur. n. 4 & alii, cum quibus & nos facimus, distinguunt inter atrociores injurias, puta si aliquë verberaverit, vulneraverit, & leviores sive verbales, sic ut hoc casu, si edormitã crapulã, sobrium facti pœniteat, omnimodò excusetur, priori verò teneatur, cum pœnitentia non excuset, aut tollat injuriam realem. *Cyn. in l. si non convitii. n. 2. C. h. t.* Et hoc casu propter culpam mitius & benignius arbitrio judicis secundum communem Dd. sententiam plectitur. *Wesenbec. in Parat. h. t. n. 4. & ad l. Cornel. de sicar. l. ii. §. pen. Clar. lib. 5. sent. §. fin. q. 6. num. 12. Menoch. lib. 2. de A. J. Q. Cent. 4. cas. 326. Tiraq. in tract. de pæn. cas. 6. Vasq. i. illust. contr. 19. num. 14. Borch. in tract. de pact. c. 3. n. 15. Damhoud. in pract. crim. c. 84. n. 17.* Idem juris in irato, qui in supremo iracundiæ calore constitutus, injuriosa verba in alterius ignominiam evomit, nam si postea, animo sedato, se facti pœnitere ostendat, absolvitur, *l. unic. ubi Salic. C. si quis Imper. maled. Angell. in l. si non convitii 5. C. h. t. Vasq. lib. 1. illust. contr. c. 18. num. 29. Gail. lib. 2. obs. 106. num. 8. & seqq. Wesenbec. ff. h. t. num. 4. Treutl. disp. 30. vol. rhes. 6. lit. A. Philipp. Matth. ad l. quicquid calore. 48. ff. de R. J.* Licet alii Dd. distinguant inter iratum ex justã causã, & non justã causã, ita ut hic ordinariã pœnã teneatur, ille verò non item. *Clar. lib. 5. sentent. §. injuria. n. ult. & idem in §. fin. q. 60. n. 9. v. reperio tamen, & c.*

IX.

IX.

Omnis autem injuria fit vel re vel verbis. *l. 1. §. 1. ff. b. t.* hinc
aliam realem, aliam verbalem Interpp. vocant. *Schneid. §. 1. Inst.*
b. t. Gail. lib. 2. obs. 104. n. 4. Vult. Jurispr. Rom. c. 49. n. 5. Gædd. p.
3. disp. 14. thes. 2. Treutl. disp. 30. sub thes. 5. lit. c. vol. 2. Hillig. in Don.
Enucl. lib. 15. c. 24. ad lit. B.

X.

Re injuria fieri intelligitur, quoties manus alicui inferun-
tur *l. sed est 9. ff. b. t.* Hoc autem fit dupliciter, vel in corpus
molestiam inferendo, per verbera vel pulsationem, quorum
prius fit cum dolore, posterius sine dolore. *l. 1. §. 1. & 2. l. lex Cor-*
nelia 5. in princ. l. non solum 11. in princ. l. 15. §. verberasse ff. b. t. §.
injuria Inst. eod. sive alio quocunque modo corpus lædendo, vel
faciendo aliquid citra corporis ignominiosam tractationem,
ut si quis aliquem adfectatus fuerit, sive sit puer, sive fœmina, &
si quis bona alicujus quasi debitoris possideat, quem scit suum,
non esse debitorem. *§ 1. Inst. b. t.* aut arrestando impediatur,
quo minus in suo publico ire piscari aucupari, aut commo-
dè re suâ uti possit. *l. injuriarum. 13. §. fin. cum l. seq. ff. b. t.* Plura
exempla referuntur in *l. 15. §. ait prator, 25. cum seqq. ff. b. t.*

XI.

Verbis injuria infertur, quando manus quidem non infe-
runtur, sed aut scripto & literis alicui injuria fit *l. 1. §. 1. l. lex Cor-*
nelia. 5. §. si quis librum, ff. b. t. l. aut facta. 16. in princ. ff. de pœn.
quæ injuria in specie dicitur libellus Famofus. *§ injuria vers. vel*
siquis. l. unic. C. de famos. lib. de quâ in subseqq. aut verbis lin-
gua nuncupatis alicui contumelia imponitur, quæ convitium
proprie dicitur *l. 2. §. 1. 2. ff. b. t.* (convitium autem dicitur
vel à concitatione vel à conventu, hoc est, à collatione vocum,
cum enim in unum plures voces injuriosæ conferuntur con-
vitium dicitur quasi convocium *l. item apud 15. §. 2. 3. 4. ff. b. t.*)
ideo

IX.

... ubi
arricid.

An scil.
enfent,
l. si ser-
in tract.
n. licet
Re milit.
e injur,
inter
erit, &
sabri-
neatur,
alem.
ulpam
unem.
& ad
num. 12.
de pœn.
de pact.
n irato,
verba
sedato,
C. si quis
1. illust.
q. We-
Philipp.
distin-
ut hic
sentent.
&c.



ideoque, si quis nebulosus, spurcius, scurra, claudus, luscus, surdus, loripes, mutus, gibbosus, mendicus, Judæus appelletur, convictum est, & ob hoc inferens tenebitur, neque ipsi in hoc veritas obiecti criminis patrociniabitur, ut est commun. opin. *Wesenb. in Parat. h. t. n. 9.* quia non debet aliquis infamiam alterius sine causa detegere: cum defectus nostros detegi injuriosum & inhumanum sit *l. 2. in fin. C. qu. & quib. quar. par.* Si verò tale crimen, quod Reipublicæ interest notum esse, obiectum fuerit, tunc obiciens injuriarum iudicio conveniri minimè poterit. *arg. l. eum qui 18. ff. h. t. l. ita vulneratus. §. 2. ff. ad L. Aquil. l. 1. C. de infam. c. 1. de conjug. leprofor.*

XII.

Hinc elegans pullulat quæstio: An videlicet ille qui in iudicio excipiens contra testes, quod sint homicidæ, falsarii, adulteri, raptores, &c. & proinde ad testimonium perhibendum inepti, possit injuriarum accusari? Et quamvis in hac quæstione in utramque partem acriter à Dd. disputetur, tamen nos mediam viam eligentes distinguimus inter crimina *cum Coras. lib. 6. Miscell. jur. cap. pen. n. 5. & seqq. Castalio in l. ult. ff. quod quisq. jur. Gædd. part. 3. disp. 14. th. 4. lit. c. Paulò Berens. disp. 14. them. 2 q. 4.* hoc modo, ut tum demum, qui testes homicidii falsi &c. arguerit, excusetur, si de crimine capitali aut famam accusatus sit, secus verò si bonorum tantum. Quia tum illud obtinebit: qui excipiendo calumniam objicit, poenam calumniæ non effugit. *l. 1. C. de advoc. divers. jud. vid. l. si vero §. 1. ff. qui satisd. cog.*

XIII.

Hic etiam illa non minus jucunda quam difficilis nobis decidenda venit, quæstio; An ille qui alteri dicat, Tu mentiris, injuriarum teneatur? Et nos *Aff. per text. in cap. is autem. 22. q. 2. l. item §. ait prætor. ff. h. t. ubi Bart. n. 3. & alii. Jason. in l. ut vim. 3. n. 36. ff. de j. & j. Ludov. Gilhaus. in com. de injur. & famos. lib. §. 5. n. 169. Gail. lib. 2. obs. 100. n. 3.* adeò ut quamvis hæc addat verba

ba salva venia, salvo honore tuo, tamen idem juris maneat: potestatio enim actui contraria nihil operatur *l. quis 21. in verb. nan admissum contrariam voluntatem declarat. ff. d. acquir. hered. Schneid. in §. 1. injuria Inst. h. t. Wesenb. in Parat. h. t. n. 8. Damboud. in pract. crim. c. 136. Gail. d. obs. Gothof. ad l. 5. C. h. t.*

XIV.

Hæc tamen ita sunt accipienda, ut nō intelligantur de eo, qui facto vel dicto calumnioso provocatus, ad defensionem suæ innocentiae & honoris servandi causa, incontinenti retorsione usq̄ fuerit, ut si dicat: Tu mētiris, simpliciter, vel etiā salvo honore tuo, aut Tu mentiris, ut fur, sive ut scelestus latro, prædo, quia hic omninò excusatur *per l. 25. vers. sed si advers. juncto vers. nisi forte, & vers. ceterum ff. de procurat. ibi Dd. Gail. d. obs. n. 3. & seqq. Mysing cent. 5. obs. 17. n. 3. Wurms. lib. 1. pract. observ. tit. 47. obs. 18. Menoch. cons. 41. n. 10. Boc. class. 4. disp. 4. thes. 30. lit. c. & d. edit. 2. vaud. var. quest. lib. 2. q. 29. nam ignoscendum est ei, qui voluit se ulcisci provocatus l. qui cum 14. §. 6. ff. de bon. libert. & verba verbis repellere licet arg. l. ut vim. 3. ff. de j. & j. Atque hæc de injuria verbali sufficiant.*

XV.

Sequitur nunc de ea injuria, quæ dicitur Famosus libellus, & est, quo alicui capitale aliquod crimen, vel corporis pœnam merens, impingitur *Dd. Comm. in l. Unica. C. de injur. Schneid. §. 1. n. 3. Inst. h. t. Wesenb. consil. 22. n. 5. Nic. Everh. Jun. consil. 2. n. 14. Prosper. Farin. tract. crim. p. 3. 4. 105. Insp. II. n. 424. Et quamvis hæc injuria scripto etiam plerumque inferatur, ut alia injuriosa scriptura, non tamen obid conveniunt, sed ratione criminum objectorum distinguuntur: si enim alicui ctimen aliquod capitale literis objectum fuerit, Famosus libellus erit: si vero non capitale, sed tantum verba, ad contumeliam alicujus sine infamiae nota spectantia, ut si luscus, claudus, pediculosus medicus &c. appelletur, injuriosa tantum scriptura erit. *Wesenb. in paratit. ff. ht. num. ult. & Consil. 22. n. 5. part. 1. Damboud. in prax. rer. crim. cap. 125. Boc. class. 4. disput. 4. thes. 35. & 36. edit. 2. &**

B

in



in Comment. ad l. unic. C. de famos. libell. Eius appellatione ta-
 men comprehenditur Famofus libellus, quamvis excufus. Re-
 ceß Imp. d. an. 15. 42 zu Nürnberg auffgericht. § als auch. Aus-
 guft. 1530 vnd nach dem durch/Reichsabschiede zu Speyer
 anno 1590. § zum andern foll auch kein Buchdrucker cum
 §. § feqq. five fit sculptura, five picturâ, Recess. Imper.
 August. de anno 1548. tit. von Schmahiften Gemelts vnd
 Gemächts. §. ferner sehen ordnen vnd wollen wir / *ibi ge-
 mahle geschicht* nec interest, an metrica in modum Cantilenæ,
 vel profa oratione concipiatur l. item apud 15. §. 27. l. 5. §. eadem
 10, ff. de injur. l. unic. C. de famos. libell. An autor nomen suum
 subscribat vel dissimulet. l. 5. §. si quis librum 9. & l. quod scitum
 6. l. item apud 15. §. 29. ff. h. t. Wesenb. in Parat. in fin. h. t. Har-
 precht. §. 1. num. 15. Inst. eod. Text. in der Policen Ordnung zu
 Franckfurt de an. 1577. geleset tit. 35. vers. vnd sehen. *ibi
 verba*; noch auch kein Famofß Bücher oder Schrifften / es
 habe der author seinen Nahmen darunter gesetzt oder nicht.
 Ordin. Imp. Crimin. Carol. V. art. 110. ubi vnd sich nach
 Ordnung der Rechten mit seinem Lauff. vndt zunahmen
 nicht unterschreibet.

XVI.

Quia autem hoc crimen censetur omnium gravissimum,
 & quovis ferro nocentius, non ille tantum committere cense-
 tur, qui famosum libellum conscribit & manifestat, sed etiam
 qui quocunque modo invenit, & non dilacerat, sed divulgat. d.
 l. unic. ubi gloss. & com. Dd. Menoch. lib. 2. d. A. 7. Q. Eò autem
 detestabilius est, quo majores jure civili ipsi sunt constitutæ pœ-
 næ. De jure fitorum fit intestabilis; l. 15. cui 18. ff. de testam. l.
 ob carmen re ff. d. t. De jure Codicis vero l. unic. C. de famos.
 libell. sustinet pœnam mortis, non autem naturalis, sed civili-
 lis, arg. l. si præsēs. 31. l. sanctio legum 41. & l. interpretatione
 42. ff. de pœn. cap. in pœn. 49, de R. J. in 6. l. semper 9. & 56. & l.
 ea que 197. §. 1. ff. d. R. J. text. cum gl. in l. eos. 6. §. super his vers.
 ne



ne temerè C. de appellat. Ordin: Crim: Carol. V. art. 110. talionis
 poenam infligi vult ex crimine objecto. Recessus Imp. Au-
 gust: de ann. 1530. §. vnd nach dem durch die Vnordentliche indi-
 cit poenam pro ratione circumstantiarum, corporalem & pecu-
 niarim: Excudentes vero & diuidentes, puniuntur Confi-
 scatione librorum & negotiationis, cum poena pecuniaria, pro
 arbitrio iudicis imposita Ord: polit. Carol. V. tit. 37. von Schmã-
 schriften Et Rudolph. II. tit. 35. Constit. Imp. Spir. anno 1570.
 §. Wiewohl auch auff etlichen vorigen. Const. Ratisp. anno
 1541. ferner haben wir befunden.

XVII

Utraque autem injuria fit alicui aut mediatae aut immedia-
 ta. Immediatae, cum directo alicui personae, sive praesenti sive absen-
 ti, injuria infertur l. 1. §. 3. ff. h. t. l. 15. §. conuicti ff. h. t. Salic. l. unic.
 C. si quis Imp. maled. Mediate; cum per alias personas ipsius po-
 testati & affectui subjectas, alicui infertur, ut si liberis l. injuria-
 rum 2. C. h. t. l. 22. ff. h. t. uxori sponsae, nurui vel ferrvis meis fit
 l. 1. §. pen. ff. l. 2. C. h. t. §. patitur Inst. eod. Item si defuncto quando
 enim defuncti manes luduntur, actio injuriarum non tantum fi-
 lio, sed quibuslibet etiam heredibus datur, quoniam ad ipsorum
 existimationem pertinet d. l. 1. §. 4. l. ossa 8. ff. de reb. & sumpt.
 fun. si satelliti, Magistratus jussum munus obeunti. Alex. in
 l. quamvis ff. de in ius voc: Omnis enim ad nos spectat injuria,
 quam patiuntur hi, qui vel potestari, vel affectui nostro subjecti
 sunt l. 1. & 2. ff. h. t. Huc pertinent etiam eae injuriae, quae
 marito dictae concernunt uxorem; veluti, si quis maritum leno-
 nem uxoris aut ut vulgò loquuntur, cornutum, vocet Dn. Har-
 precht. disp. 18. thes. 8. de injur.

XVIII

Nunc ex ordine sequitur poena, qua afficiuntur illi, qui
 scienter & animo injuriandi injuriam fecerunt. Haec vero est
 vel criminalis vel civilis. l. fin. ff. de privat. de Gomez. de injur.



c. 6. n. 7. Gail. 1. obs. 65. n. 1. Civilis tunc esse, vel tunc civiliter agi dicitur, quando quis injuriam sibi factam jurejurando æstimat, pœnamque sibi que adjudicari petit, quam tamen deinde judex, prout æquū videbitur, pro qualitate facti, circumstantiarum h. e. secundum personæ gradum, dignitatis, vitæque honestatem, moderatur §. pœna 7. Inst. h. t. & Borch. ibid. n. 3. Notandum autē hic, quod æstimatio fiat pro qualitate injuriæ, quæ est aut atrox, aut levis; d. §. pœna Inst. h. t. ubi videri possunt exempla cujusque injuriæ.

XIX.

Criminaliter agitur, quoties pœna non actori, sed fisco applicatur, vel quoties injuriam passus, petit reum extra ordinem in corpore puniri l. ult. ff. h. t. ubi judex itidem, pro modo admissi delicti & conditione personæ, pœnam reo imponit, ne quid gravius aut durius constituat, l. ii. ff. de pœn. l. 16. eod. Potest autem judex hoc casu, circumstantiis aggravantibus, arbitrium suum etiam usque ad mortem extendere l. sunt quedam 9. ff. de Extraord. criminib. l. lex Julia 7. §. hodie ff. ad L. Jul. repetund. quæ res facit, ut hic procuratori non possit esse locus, (nam procuratores fiunt domini litis, & in ipsos fertur sententia,) nisi in terminis l. ult. C. h. t. ubi Zeno Imp. illustribus viris, eorumque uxoribus & liberis, actionem injuriarum, criminaliter etiam per procuratorem movere permittit, ne facillè tales illustres personæ incurrant aliquam infamiæ notam, quæ injuriarū damnatos, comitari solet. l. i. & l. athletas. 4. in fin. ff. de his qui not. infam: §. pen. Inst. de pœn. temer. litig: l. damnatos. 18. C. ex quibus caus. infam. Hinc non in seite quæritur. An ille, qui ob levem vel modicam injuriam conventus, & judicio damnatus, etiam reddatur infamis. Et quamvis plurimi Jcto- rum hoc affirmant, nos tamen negantium opinioni, ut veriori subscribimus per. l. scio. 4. ff. de in integ. restit. l. si quis 9. §. ult. & l. seqq. ff. d. dol. mal. l. ad tempus 5. ff. de decur. l. sed si 17. §. 3. ff. h. t.

XX.

Porro certum est; quod hæ actiones se invicem tollant & consumant, ideoque si civiliter injuriarum actum fuerit, criminaliter postea agi non poterit, & contra *l. unic. C. quando Civilis act. præjud. crim. l. quod Scutum 6. in fin. ff. b. t.* Ratio est, quia utraque harum tendit ad vindictam *d. l. quod Scutum l. prætor. 7. §. 1. ff. b. t. l. 2. §. Emancipatus 4. C. de collat. bon. Borch. & Schneid ad §. n. summa 10. Inst. b. t.* neutra vero ad rei familiaris persecutionem, meritò itaque altera alteram consumit, cum non sit æquum idem admissum pluribus legibus puniri. *l. Senatus 14. ff. de accusat. l. sanctio 41. in fin. ff. de pœn. Myns. Instit. §. injuria n. 4.*

XXI.

Est & alia agendi de injuriis formula, judiciis admodum frequens & recepta, quæ dicitur *Palinodia, die Klag auff einers Wiederruff* / qua injuria affectus agit ad revocationem verborum injuriosorum, & hæc ab Imp. Carol. V. in nova Imperialis Camera ordinat: *part. 2. tit. 28. §. Item nach dem/introducta & approbata est Mynsing. obs. Cam: Imp. cent. 2. obs. 98.* Non autem est Criminalis, ut voluit Maranta *in spec. aut. 4. part. dist. 1.* sed potius civilis; *Myns. d. l. & ad §. in summa 10. n. 7. & seq. ibid. Harprecht. n. 64. & seqq. Gail. 1. obs. 65. n. 5. Wesenb. in Parat. ff. b. t. n. 17.* cum non agatur ad pœnam fisco applicandam, quòd in criminali omninò necessarium est; *Amplifs. & Consult. Dn. D. Arumæus, Præceptor ac Promotor omni observantiæ cultu prosequendus Exercit. Inst. 17. thes. 3.*

XXII.

Ex LL. XII. tab. pœna, quæ jam dudum in desuetudinem abiit, erat propter os tantum fractum nũmaria, quasi in magna veterum paupertate: propter membrum verò ruptum talio *§. 7. Inst. b. t. Gell. lib. 11. c. 1.* quæ cum ll. Mosaicis etiam convenit, ut pater ex *Exod. c. 21. v. 23. 24. 25. Deut. c. 19. v. 21. Levit. c. 24. vers. 20. Matth. 5. v. 28.* Sed quia hodie alia remedia, de quibus in præcedentibus dictum, introducta, hæc pœna amplius usitata non est.

B 3

XXIII.



Tollitur insuper actio injuriarum adhuc aliis modis :
 ut Morte, remissione, & lapsu temporis. Morte, tam facientis
 quam patientis injuriam, ante litem contestatam §. *ult. Inst. h. t.*
l. injuriarum 13. in princ. eod. l. omnes 26. l. 58. ff. de O. & A. & hoc
 est speciale huic actioni, ob eam rationem; quia per hoc delictum
 nullum patrimonium damnum inferitur, sed quia potius tendit,
 ut supra dictum, ad vindictam; cum alias actiones poenales et-
 iam dentur heredibus. Remissione: eaq; vel expressa vel tacita:
 Expressa, quando vel cum injuriato paciscatur aut transigat *l. sed*
si unius. 27. §. parta ff. de pact. l. sed si 17. §. si ante 6. h. t. modo
 fiat gratuito; nam si pretium intervenerit, paciscens suspectus
 est, *l. non damnatos. 18. C. de his qui not. infamia*, quia nemo fa-
 cile suas pecunias jactare praesumitur *l. cum de indebito. 25. ff. de*
prob. & pres. Wesenb. in Parat. ff. de his qui not. infamia n. 5. vel
 aperte & voluntate libera injuriam remittat *l. 17. §. 6 ff. h. t.*
 Tacita, quando injuriam dissimulet; h. e. ad animum non re-
 vocet, sed rideat & jocetur vel etiam cum eo à quò injuriam
 passus, ultrò & non occasione ab alio praebita, familiariter
 conversetur. *Gomez. de injur. c. 6. n. 16, Angel. in l. 1. n. 4. ff. de pact.*

XXIV.

Lapsu temporis, & nimirum anni *l. si non §. C. h. t.* Qualis
 autem hic intelligatur annus nondum est expeditum. Nos con-
 tinuum intelligimus, per *l. si §. C. h. t. l. in honorariis 35. ff. de O. &*
A. l. sed si 17. §. 6. ff. h. t. princ. Inst. de perpet. & tempor. act. Limi-
 tatur autem haec conclusio, ut non procedat in actione *L. Cor-*
nel, quæ pro injuriis realibus competit, in his tribus casib: ut si
 quis se pulsatum, verberatum, aut domum suam vi introitam
 esse dicat *l. lex Cornelia 5. ff. h. t. §. sed & 9. Inst. eod.* Haec enim cum
 ex jure civili descendat, non finitur anno, sed perpetua est,
 princ. *Inst. de perpet. & temp. act.* Idem etiam in actione
 injuriarum ex famoso libello. *Gail. 2. obs.*

104, Boc. c. 5. n. 43.

Co-

Corollaria

I.

An scriptura sit de essentia legis? N.

II.

Utrum principes subditis suis venatione rectè interdican? Aff.

III.

*An fur rupto laqueo de patibulo cadens, de-
nuo sit suspendendus? N.*

IV.

*An creditor ille, qui debitorem suum con-
stituto tempore non solventem, ratione con-
ventionis sive pacti ipsorum quoquo modo li-
teris traducit & diffamat, injuriarum te-
neatur? Et Aff.*

Ad Da. Respondentem

Est decus ignotas mundi volitasse per oras :
Nec minor evicto gloria ab hoste venit.
Majus opus varios Themidos penetrare recessus,
Acrior Imperii est discere jura labor.
Quomajora tuos contundunt ausa lacertos
Hoc tibi præ reliquis gloria major erit.
Perge alacrem studiis sic exercere Juventam,
Ut sit honos requies, sit tibi nulla quies.

Imq; deproperabat.

Eberhardus Wolff

odis :
cientis
h. t.
& hoc
elictu
endit,
les et
acita:
l. sed
modo
ectus
no fa-
ff. de
5. vel
h. t.
on re-
riam.
ter.,
e pact.

qualis
con-
o. &
limi-
Cor-
: ut si
itam
cum
a est,
ne

Co-

Aliud.

Cum tibi materia est præclaræ injuria laudis,
Hancque ad Salanæ pulpita docta trahis.
Ausum qui peteret probris, injurius esset.
Ureret & torvâ te sine jure notâ.
Nam qui sis dignus viventis dente Theonis
Noxia qui lingue spicula couminuis?
Nec sine jure tibi virtus decernet honores,
Si non progredier tramite destiteris.

Animo gratulante fecit

M. Petrus Haberforn

FINIS.



ULB Halle


3

005 132 649



V077





DISPUTATIO JURIDICA
DE
INJURIIS ET
FAMOSIS
LIBELLIS

Quam
Divinā favente gratiā
Authoritate & Consensu
Magnifici ac Nobilissimi Jcto-
rum Ordinis in florentissima ad Salam

Academia
SUB PRÆSIDIO
Viri Amplissimi ac Consultissimi
DN. VALENTINI RIEMERI
J.U.D. Celeberrimi & Academiæ hujus Profes-
soris Publici, nec non Scabinatus Jenensis Adfessoris gra-
vissimi, Præceptoris, Fautoris ac Promotoris sui
magnoperè suspiciendi.

Publicè discutiendam proponit
Ad diem Augusti 28. loco Horisque consuetis
IOHANNES PETRUS ~~Chpel~~/Butisbacen-
sis Hasso - Wetteravius.

JENÆ Typis VIDUÆ WEIDNERIANÆ.
ANNO M DC XXX.

XXVII. 413

14

1630, 2

12

